

ætatis memoria. Memini olim vidisse penes memoratum hujus Ecclesiæ Priorem elegans MS., in quo series precedentium Priorum ex antiquis chartis ab ipso confecta, aliaque nonnulla ad eam pertinentia continebantur; at cum ejus Nepotem nunc Alexandria Episcopum rogassem, ut apud avunculum ageret, ut eorum, quæ maxima diligentia congesserat in illo volumine, exemplar mihi vellet commodare, eoque uti sineret ad majorem Ecclesiæ Aquensis illustrationem; atque avunculi commendationem, nil profeci. Quapropter iis paucis contentus ero, quæ alii liberaliores mihi communicarunt. Ex hisce unum hic addam documentum, quod in Tabulario Capituli inventum est, de quadam controversia inter Episcopum Aquens. Guid. II., & Priorem hujus Ecclesiæ. Aliud etiam memini olim reperisse de quadam lite a quoddam Titione Priore illius Ecclesiæ sac. XV. Niciæ excitata. Primi ergo exemplum habeto.

In nomine Domini amen. Universis, & singulis pateat, quod anno, indictione, die, & mense infra scripto Paulinus de Mombaxilio Procurator ec. R. in X. P. & D. D. Guidonis Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Aquen. Episc., & Com. coram D. Parmerio de Zuvo Præposito sanctæ Mariæ de Canali Terdon. sedicente sedis Apostolicæ Delegatum interposuit appellationem tenoris infra scripti. Coram vobis D. Parmerio &c. Ex hac illud solum colligitur causam vertisse inter Guidonem Episcopum Aquensem, Jacobum de Cerreto Procuratorem D. Guidonis Præpositi, Fratrum, & Capituli Ecclesiæ s. Crucis Mortariensis, ob aliquas controversias excitatas inter Episcopum, & Priorem s. Johannis de Lanerio de Nicia, & Canonicum conventus s. Crucis Mortariensis, quarum status, & natura haud explicatur. Appellatum autem fuit ad Innocentium Papam Sextum Præsentibus testibus D. Philippo de Gambarana Jurisperito, Johanne de la Turre Capellano Ecclesiæ s. Mariæ de Canalis &c. Anno MCCCLIV. indi. VII. die XXIII. mensis julii.

Ego Franciscus Dach de Incisa Not. &c.

MC. col. 40. n. 29. Addo duarum vocum emendatio, seu lectio diversa, quam Turrius in suo exemplari inseruit, vautam legitur vuatiam col. 41. lin. 16. Alinenfi l. Alinenti.

MCI. col. 42. n. 30. Exciderat ad notam 37. verbi de Monteglaro subdere D. Azimonti Can. Vercellensem, qui hoc quod edidi exemplar J. B. Vasco misit, eum præcipue monuisse in veteri membrana nulla prorsus ratione legi posse de Monteglo, ut nonnulli suspicabantur.

MCVI. col. 44. n. 31. Februarius habet solum calendas XVI., quid ergo erunt calendæ istæ XVIII. dele octavo repone sabbato & omnia cohærebunt. lin. 19. idem lege idest.

MCVIII. col. 45. n. 32. Hoc documentum extra locum suum incuria Typographi collocatum fuit. Cum enim singula documenta singulis constarent separatim foliis, atque hujus inscriptio non numerice, sed per extensum ita compendio esset indicata octimo, pro octuagesimo legit ipse octavo; quo anno Mediolani Grossulanus Præpositus Ferrainæ diocesis Albensis de Archiepiscopatu cum Jordano de Clivio contendebat.

Edito autem utcumque hoc documento illud feliciter contigit, ut membranam, in quam Anselmus Episcopus omnia, quæ in hanc causam prodierunt decreta, contulerat, præ manibus haberem. Ex hac sequentes excerpfi optimas lectiones in textum inserendas. lin. 20. in altera parte legitur ex altera lin. 27. gratia Mediolanensem l. Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ venerabilem lin. 29. præscripsit l. præscriptus lin. 30. convocari l. convocavit lin. 31. obligationes l. allegationes, item ibi hujusmodi l. hinc inde sollicite lin. 45. octavo l. octuagesimo lin. 48. post Joseph adde Johannes. In alio exemplari inserto in chartularium Alberti Episcopi legitur notariorum quorundam approbatio hoc modo: Ego Jacobus Imperialis Notarius autenticum hujus exempli sigillo cereo cum seta sigillatum, in quo continebatur S. Ambrosius &c. Ego Ubertus de Galea de Aquis Notarius Palat. mandato D. Alberti Aq. Ep. sententiam prædictam D. Algisii exemplatam a prædicto Jacobo, ita similiter & in isto scripsi.

MCXVI. col. 45. n. 33. Henricus IV. obiit die septima augusti, quare filius hoc mense junii agebat annum decimum, & mense augusti incipiebat ann. XI.

MCXIX. Col. 46. n. 34. Hujus meminit Ughellius T. IV. col. 360. in Episc. Asten. n. XXVIII. Oberus Marchio Monriferrati (cur hunc Oberum Monriferratum Marchionum familiæ adjunxerit Ughellius nescio) eidem Landulfo fidelitatis juramentum præstitit pro S. Salvatore oppido Astensi Ecclesiæ fiduciario. lin. 39. & 40. quis iste Marchio Viarizii? Puto errorem latere & forte hic legendum Manfredus Viarizii, ut infra ad ann. 1168. doc. 52., vel dicendum hic vox Marchio non dignitatis, sed personæ nomen esse.

MCXXVII. Col. 46. n. 35. Personæ in hac synchrona membrana nominatæ erant incolæ Roboreti insignis olim oppidi, in cujus solo post aliquot annos Alexandria fuit ædificata. Ora agri ferramenta nuncupata hoc adhuc nomine a civibus vocatur, atque parum distat a porta Januensi Alexandria. Cæterum hoc anno numerabatur indi. V. non XI., ut hic perperam irrepsit. lin. etiam 17. col. 47. Otta non Orta legendum.

MCXXXIV. Col. 51. n. 39. Cum hoc documentum ex Chartulario Astensi excerpissem, in ea versabar opinione hic agi de Marchionibus ex Bonifacio, & Alasia Magnæ Adelaidis Segusina Marchionissæ nepote progenitis: non de Marchionibus Ceva, prout Ughellius in Ottone Episc. Astensi absurde prorsus crediderat. Serius enim isti prodierunt, quam ut hoc anno aliqua de ipsis mentio uspiam legatur. Obstabat equidem silentium tituli Marchionalis, qui fuit in hac charta a Notario prætermisus, quod minime factum fuisset, si de tot, tantisque viris acta res esset. At nonnulla licet rara suppetunt exempla Notariorum, qui de Marchionibus agentes titulum omiserant, cujus unum ego exemplum proferam par. 2. S. C. Diplom. Col. 401., eoque magis in hac specie facile erat, quo ipsa Alasia, ac filii in propria eorum personâ de se ipsis loquebantur. At V. C. Gaspar Sclavus me per epistolam VIII. Kal. septembris præteriti anni monuit, viros hosce ex aliis, quas ipse habebat, chartis, ad nobilem Carassoni antiqui olim oppidi Domi-